FRIDERICO RITSCHELIO

RHENANAM CVM VIADRINA COMMVTANTI

HOC GRATI ANIMI MONVMENTVM

POSVERVNT

SEMINARII PHILOLOGICI SOCII.

ADIECTA EST ROB. ENGERI DE RESPONSIONVM APVD ARISTOPHANEM RATIONE DISSERTATIO.

VRATISLAVIAE,
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII.

MDCCCXXXIX.

Relicturum Te esse *Friderice Ritscheli* hanc litterarum Universitatem ubi rumor urbem nostram pervolavit: quum permulti alii tum nos qui Seminarii philologici Te duce inde ab anno CIↃDCCCXXXIII. usque ad annum CIↃDCCCXXXIX. eramus sodales non potuimus non graviter commoveri. Ac Tibi commodius rem cessisse et maximo opere laetamur, et ex animo Tibi gratulamur: nobis incommodius cessit, qui tali orbemur praeceptore et duce et amico, quali vix paucis frui contingit. De eruditione atque doctrina tacemus: satis loquuntur publica quae posuisti monumenta. At aliud est ipsum esse doctum, aliud alios docere. Hoc est de quo egregie Tu praeter ceteros meritus es, quod non tantum doctrinae fontes aperuisti, sed etiam viam monstravisti, qua unusquisque ingredi debeat, singulorum indolem ac studia perspexisti, nitentes adiuvisti, verus denique exstitisti studiorum moderator. Quid dicam de summa erga unumquemque liberalitate, comitate, facilitate, qua ita omnes excepisti, ut nisi doctiorem dimitteres neminem, omnes qui Te adiissent, egregie et consiliis et subsidiis adiuvarentur.

Sed quid multa: Reverentiae et amoris hoc accipe signum, mutuae simul memoriae vinculum: Vale.

Vratislaviae a. d. XVII. Cal. April. CIↃDCCCXXXIX.

1. **Guil. Schoenborn**, Conrect. schol. provinc. Crotocin.
2. **Jos. Spiller**, Collab. Gymn. Glivic.
3. **Theod. Lucas**, Collab. Gym. Hirschberg.
4. **Dr. Jac. Prabucki**, Praec. sup. Gym. Marian. Posnan.
5. **Dr. Rob. Enger**, Collab. Gymn. Matthiac. Vratisl.
6. **Ferd. Beissert**, Praec. Gym. Glogav.
7. **Guil. Wolf**, Cand. phil.
8. **Aug. Stephan**, Praec. Gymn. Cielcens. Polon.
9. **Salom. Mende**, Collab. Gymn. Liegnic.
10. **Dr. Jul. Zastra**, Praec. Gymn. Matthiac. Vratisl.
11. **Guil. Passow**, Praec. Gymn. Meiningens.
12. **Dr. Pistoth. Tzschirner**, Praec. Gymn. Magdal. Vratisl.
13. **Ed. Glaeser**, Praec. Gymn. Frideric. Vratisl.
14. **Guil. Burghardt**, Cand. phil.
15. **Dr. Guil. Marckscheffel**, Collab. Gymn. Magdal. Vratisl.
16. **Sim. Isaac**, Cand. phil.
17. **Jul. Fechner**, Praec. Gymn. Bromberg.
18. **Dr. Ant. Becker**, Cand. phil.
19. **Dr. Erdm. Kaemmerer**, Praec. Gymn. Olsn.
20. **Dr. Guil. Wagner**, priv. doc. in Univ. Vratisl.
21. **Ed. Roesinger**, Cand. phil.
22. **Dr. Jul. Schmidt**, Cand. phil.
23. **Dr. Jos. Szostakowski**, Cand. phil.
24. **Gum. Moessler**, Cand. phil.
25. **Henr. Wimmer**, Cand. phil.
26. **Jul. Haegele**, Stud. phil.
27. **Gust. Hartmann**, Stud. phil.
28. **Guil. Beisert**, Stud. phil.
29. **Laur. Mueller**, Stud. phil.
30. **Jul. Brix**, Stud. phil.
31. **Alb. Beinert**, Stud. phil.
32. **Jul. Gohlisch**, Stud. phil.
33. **Gust. Weigand**, Stud. phil.
34. **Ad. Tschepke**, Stud. phil.

Plura apud Aristophanem carmina exstant, quae aut dubitari possit, utrum sint responsionis lege soluta, an depravata librorum scriptura tantum oblituerit ratio antistrophica, aut quum certa se offerant responsionis indicia, tamen nonnihil dubitationis relinquant tum de vera partium disponendarum ratione, tum de iusta singulorum verborum emendatione. Has difficultates qui tollere conabantur etsi haud vulgari praediti essent doctrina, tamen multa saepe ingeniosius excogitaverunt, quam verius pertractaverunt, multa etiam improbabiliter disputaverunt. Cuius rei praecipuam caussam inde mihi videor repetere posse, quod leges, quibus adstrictus antistrophica composuerit Aristophanes, non satis habuerint perspectas. Quod quum eiusmodi sit, ut et ad viam disponendorum carminum monstrandam, et vitia detegenda, rectiusque tollenda maximam habeat vim: eius rei accuratius tractandae provinciam suscepi, quamquam quae in disputationem vocabo, ea inchoata magis quam absoluta esse quum ipse intelligo, tum ab aliis volo ita putari. Recens est enim natum hoc opusculum, quod neque ea, qua par erat, cura fovere, neque ab maculis quae inhaeserint satis purgare per temporis exiguum quod concessum fuit spatium licuit.

In initio dissertationis pono, quae summa est disputationis nostrae, quamque comprobare exemplis conabor, eam esse ab Aristophane in numeris antistrophicorum exaequandis diligentiam adhibitam, quae Aeschyli diligentiam qua is syllabas soleat syllabis exaequare, tantum non assequatur, Euripidis longe superet. Imprudenter igitur et aliorum fisus iudicio olim, quum simile tractabam argumentum, licentiam maiorem dicebam poetis comicis esse relinquendam, ab qua sibi caverint tragici poetae. Intelligitur autem, quale id sit, quod modo proferebam, quibusque finibus describatur, ita optime iudicari posse, si de singulis metris eorumque formarum permutatione explicatum fuerit: in quo praeterea ea est cautio adhibenda, ut singularum ratio habeatur fabularum, quarum non omnes eadem et arte et diligentia compositae sunt.

Ac primum quidem de *numero dochmiaco* dicatur. Habet is plurimas formas, ita tamen nonnullas diversas, ut nunquam sibi in responsione opponantur. De qua re quum ante hos tres annos copiosius exposuissem, hic tantum addo, Aristophanis in huius quidem numeri responsionibus vel maiorem quam ipsius Aeschyli diligentiam cerni, quamquam id nolo eo valere, ut si quae

coniectura probabili restitutae fuerint formae, non illae quidem usque certis exemplis comprobatae, per se tamen haud improbabiles, earum propterea usus in dubitationem vocetur. Exempla quae apud Aristophanem inveniuntur, adiecimus: monostrophica, vel quorum responsio dubia est, et hic et in postera disputatione omisimus. *Acharn.* vss. 358—365; 385—392. Est systema constans ex monometro et tribus dimetris, quod duo iambici trimetri sequuntur. Scriptura est expedita, responsio accuratissima, ipsi versus elegantissimi. Formae usurpatae secundum Seidlerum I. XVIII. II. XX. — Alterum systematis exemplum est *Avv.* vss. 1188—1195; 1262—1268. Constat ex quatuor dimetris: formae sunt II. VI. XXIV. XX. V. Primus dimeter accurate sibi respondet; alterius vero dimetri quum uterque dochmius eandem habeat formam, ita tamen, ut strophici prioris prior anacrusis brevis, alterius longa sit: id in antistropha ordine contrario institutum est, ut mensura hoc modo quasi compensetur, quod non casui dandum, sed consilio esse factum, duobus aliis exemplis docebimus. Tertius versus antistr. ita in libris perhibetur: *μηδέ τιν᾽ ἱερόθυτον ἀνὰ δάπεδον ἔτι* quam scripturam omnes editores receperunt, credo quartam *ἱερόθυτον* vocabuli longam statuentes. At neque haec syllaba est longa, neque tam inelegantem fecit poeta versum, ut ultimam huius vocabuli syllabam ad sequentem dochmium trahi voluerit. Accedit tertium argumentum ex violata responsione petitum. Vitium sublatum est in Iuntina, quae *ἔτι γε* praebet. Eadem tamen Iuntina etiam vs. 1264 *μηκέτι γε* habet, ut nescias an aeque prius atque posterius *γέ* interpolationi tribuas. Scribo *ἀνὰ τὸ δάπεδον.* Articulo enim vix careas, et saepe ille omittitur. Omissum Thesmoph. vs. 142 restituit Fridericus Bothius ex Suida et Schol. immerito a Francisco Fritzschio notatus. Versu quarto longae strophici anacrusi respondet antistr. brevis, quod fieri posse nego. Facile hic restituitur responsio, si *θεοῖσι* convertas in *θεοῖσιν.* At mirum est, in optimo libro Ravennate legi *πέμπειν ἂν καπνόν.* Carolus Reisigius margini exemplaris sui adscripsit *αὖ,* quod eo pertinere puto, ut *ἂν* in *αὖ* commutandum existimaverit. Probo hoc et scribo *τῇδε βροτὸν θεοῖς πέμπειν αὖ καπνόν.* Sic etiam numerus elegantior evadit. — *Vesp.* vss. 730, 734, 736; 744, 747, 749. De primi versus antistrophici scriptura verum videtur Guilielmi Dindorfii iudicium. Strophicus dimeter ex dochmiis VI. et II. formae compositus est, antistrophicus ex earundem formarum dochmiis, contrario tamen ordine, de qua re modo diximus. Alter dochmiacus monometer formam habet I, tertius II. In antistr. quidem legitur *πειθόμενός τέ σοι,* neque id violatae responsionis caussa damnaverim. Sed quum sententia aoristum postulet, istaeque formae saepissime in libris permutentur, veluti Ran. vs. 1376 Ravennas aliique *ἐπειθόμην* pro *ἐπιθόμην* exhibeant (de contrario vitio dixi De Aeschyl. antistr. respons. p. 80) non dubito quin *πιθόμενος* a poeta profectum sit — *Lysistr.* vss. 658, 659, 668; 682, 683, 693. Sunt monometri V. formae cum iambis coniuncti. Recte hos versus dochmiis adnumerari, tertius docet, qui cum creticis uno systemate coniunctus est, suntque dochmii et cretici huic loco aptissimi. Est vero hoc metrum iambico-antispastis simile, quod ipsum ab Aristophane usurpatur, ut Vesp. 732; 746. Primo dochmio iamb. monometer hypercatalectus additus, alteri et tertio dimeter hypercat. Hi iambi dipodiis incedunt. — *Eccles.* vs. 912; 918 dochmiacus monometer II. formae, cui praemissus spondeus. Hos tamen versus Godofredus Her-

mannus ad exemplum glyconeorum compositos putat, cretico posito pro choriambo. — Denique *Avium* vss. 310; 315, 333—335; 349—351. G. Hermannus dochmiacos esse statuit, quod tum ob violentas mutationes, tum ob inelegantes qui hac ratione existunt versus vix probari potest. Si quid mutandum est, in stropha vitium quaeratur, antistropha intacta relinquatur, quae elegantissimis creticis sive paeonibus scripta est, neque ullam vitii suspicionem movet. Hoc postremum tamen etiam in stropham cadit, quod quum intelligeret Guil. Dindorfius, poetam statuit non plena mensura creticis usum esse, sed quibus ad integritatem tempus unum deesset. Permirum sane est istud Dindorfii iudicium, quod dubito an nemini probetur. Ipsi tamen quid faciamus de hoc loco nescimus. — His expositis facile poterit intelligi, quantum Fr. Fritzschii opinioni tribuendum sit, qui Thesmoph. vss. 659—666 propria quadam ratione emendatos recte opponi vss. 699—706 opinetur. Sed omittimus et haec et quae praeterea de toto hoc Thesmoph. carmine sane hic dicenda essent, quum et longam sibi haec res disputationem poscat et fore speremus, ut alio loco accuratius in hanc rem inquirere nobis liceat. — Postremo non omitto *Avv.* versuum 426, 427, 428, 429 tres priores dochmii formam habere, omnesque quatuor a quibusdam pro dochmiis habitos esse, quos ab hac opinione avertere quartus versus debebat.

Venio ad *creticum numerum*. Eius quum tres exstent formae, alterutra arsi soluta, nunquam apud Aristophanem inveni eas sibi oppositas formas, quae primum et quartum paeonam exhibeant, neque creticum puto cum quarto paeone permutari posse, de quo infra dicetur. Restat igitur, ut aut eaedem semper sibi formae respondeant, aut primi paeonis loco creticus ponatur, quod etiam ipsum suas habet conditiones. Iam vero cretici alterius arsis quoniam tam crebra est solutio, ut nonnulla carmina vix diiudices utrum paeonico an cretico numero sint scripta: paeonicorum quoque versuum in hac de cretico numero disputatione rationem habeamus necesse est, quaeque hoc metro videantur carmina composita esse, prius et significemus et recenseamus.

Notus est locus *Vesp.* vss. 1275—1282; 1284—1290 iam ab Hephaestione allatus. Sunt octo tetrametri catalectici et unus trochaicus tetrameter. In antistropha primus tetrameter excidit. Paeonicos esse hos versus et syllaba anceps atque hiatus in versus fine admissus docet, et quod nullus est creticus admixtus. Caesura in stropha semel, in antistropha ter violatur. — Alterum paeonici numeri exemplum est *Acharn.* vss. 971—986; 988—998. Antistrophica haec esse accuratissima responsio docet, quum et eodem loco cretici positi sint atque tres paeonici dimetri, et utroque loco novem paeonici tetrametri sequantur addito trochaico tetrametro catalectico. Quod si verum est, antistrophicum esse hoc carmen, non solum Brunckii opinio corruit iam ab Hermanno notata, sed eos quoque falli oportet, qui versus 971 usque ad verba *ὦ Κύπριδι* Choro, reliquos Dicaeopolidi tribuunt. Nam praeter antistrophicam rationem ipsa sententia flagitat, ut totum hoc carmen semichoriis detur, quorum alterum incipiat vs. 988, ubi lacunam esse statuendam Ravennatis scriptura *καί τ'* confirmat. Etenim semichorium utrumque Dicaeopolidem incipit beatum praedicare, quod pacis commodis fruatur, idque ita uberius persequitur, ut alterum belli detestabilis, alterum pacis, tamquam formosae puellae imaginem exhibeat. Omnino qui postremae huius carminis partis accuratius perpenderit sententias, modoque illa vs. 993 verba

1 *

ἢ πάνυ γερόντιον et vs. 997 ὁ γέρων ὁδί consideraverit, illud denique animum adverterit, Dicaeopolidem iam frui belli commodis, hoc vero loco eos loqui, qui componenda demum pace multa se sperent commoda esse percepturos: haec igitur qui intellexerit, non amplius credo de vera huius carminis disponendi ratione dubitabit. — Creticos vero hos versus non esse, quod video quibusdam placere, duobus potissimum evincitur argumentis, quorum unum inde petere licet, quod et constans est in XXII. continuis tetrametris et sex dimetris paeonica mensura, neque, ut syllaba anceps et hiatus docet systemate comprehenduntur singuli versus, alterum vero argumentum, neglectum illud ab iis, qui oculis numerum percipere quam auribus malunt, in illicitis positum est qui ex cretica mensura ictus exsistunt. Denique creticorum vehementior est incessus, quam qui huic loco aptus sit. — Hermannus ex eadem fabula affert quatuor tetrametros vss. 670, 671; 697, 698. Sunt hi versus medii inter Creticos, qui quum non minus paeonicam mensuram exhibeant, dubitari potest, an omnes cretici sint. Sed tetrametri illi duo tum a creticis antecedentibus et sequentibus, tum inter se ipsos disiuncti sunt syllaba ancipiti atque hiatu. Eodem tamen modo licet Equit. vss. 617, 684 tetrametros paeonicos et Lysistr. vss. 1045 — 1049; 1060 — 1064; 1191 — 1194; 1206 — 1209 dimetros et tetrametros habere, quamquam hi tetrametri anacrusin habent. Hos tamen et alios creticis adnumerabimus. — Vere paeonico numero scriptum est Lysistr. carmen vs. 781 sqq. quod G. Hermannus tractavit. Vs. 793 nescio an scribendum sit οὕτως-ἐβδελύχθη τὰς γυναῖκας.

Creticorum exemplum primum pono *Pac.* vss. 1127 — 1135; 1159 — 1167. Decem dimetri primitivae omnes formae praeter nonum, cuius prior creticus paeon est, eodemque modo in antistropha. Praeterea versus secundus et tertius et quartus anacrusin habent. Schema igitur esse videtur α΄. 1; β΄. 2 — 4; γ΄. 5 — 10 sequuntur duo trochaici dimetri acatalectici et duo catalectici. Ultimus creticus dimeter strophae corruptus est. Legebatur ἐκπεπιεσμένα et numero et sententia refragante, quamquam significatio huic vocabulo aliena vel in lexica transiit. Ravennas praebet ἐκπεπρισμένα quod quum aptissimum sit ad sententiam, in alius significationis verbum mutari non debebat. Restituo igitur ἐκπεπρισμένα. Ceterum Bisetus vulgatam legit, studens ille sententiam extricare, atque sentiens ἐκκεκομμένα vel simile quiddam hic exspectari. — Cum trochaico numero coniuncti sunt Cretici eiusdem fabulae vss. 346 — 360 qui stropham continent. Placet eam ita disponere: α΄ trochaicum tetrametrum excipit systema creticorum dimetrorum trium; β΄ duo trochaicos tetrametros duo sequuntur creticorum systemata ternorum dimetrorum; γ΄ trochaicum tetram. sequuntur tres cretici dimetri, et unus trimeter. Haec stropha duas habet antistrophas vss. 385 — 399; 582 — 600. Mendis quibusdam tertiae strophae sublatis α΄ accurate respondet idemque de γ΄ dicendum, nisi quod altera antistropha tertii dimetri creticum alterum non habet solutum. Media pars in prima alteraque antistropha admodum est corrupta. Atque in prima antistr. tres creticos dimetros contineat necesse est haec librorum scriptura: μή γένῃ παλίγκοτος ἀντιβολοῦσιν ἡμῖν, ὥστε τήνδε μὴ λαβεῖν. Priora verba expediant alii, postremum dimetrum nobis videmur scholiastae auxilio restituere posse. Ita enim quum ille explicet: μὴ ἐξ ὑποστροφῆς ὀργισθῇς πάλιν καὶ μετανοήσῃς, ἐφ᾽ οἷς ἡμᾶς εὐεργετῆσαι προθυμῇ τε καὶ διανοῇ scripsisse poe-

tam existimo ὥστε τάδε μὴ λαβεῖν. De altera antistropha ita iudicandum, trochaici tetrametri alterius finem tantum exstare μόνη γὰρ ἡμᾶς ὠφέλεις, simulque primum creticum dimetrum intercidisse, secundum et tertium autem in hunc modum esse emendandum: πᾶσιν ὁπόσοι βίον ἀγροικικὸν ἐτρίβομεν vel quod praestat πᾶσιν ὁπόσοι βίον ἐτρίβομεν ἀγροικικόν. Ceterum in hac secunda parte alterius systematis primus dimeter in utraque antistropha alterum creticum non habet solutum, unde suspicari aliquis possit, etiam in strophico versu solutionem non esse admittendam, quam removere non difficile est, modo id iustum esset argumentum. Nunc satius duco scripturam intactam relinquere, neque in tertiae partis penultimo strophae cretico quidquam mutare. — *Equit.* vss. 303 — 313; 382 — 388 novem sunt dimetri et unus monometer versu tertio, omnes uno systemate comprehensi; claudunt duo trochaici tetrametri. In antistr. sextus dimeter excidit. Responsio est accuratissima. — Ibid. vss. 322 — 325; 397 — 399 continentur quatuor dimetri coniuncti, omnes primitiva forma. Hic quoque duo trochaici tetrametri sequuntur. — Ibidem vss. 617 — 620; 683 — 686. Systemate coniuncti tres cretici dimetri, unus trochaicus dimeter, unus creticus dimeter, tres trochaici dimetri acatalectici, unus catalecticus. Creticorum responsio accuratissima. — *Acharn.* vss. 208 — 218; 223 — 233. Schema. α′ tres cretici dimetri. β′ tres dimetri. γ′ sex dimetri et unus monometer tertio versu ut Equitum loco. Praecedunt et sequuntur trochaici tetrametri. In antistropha excidit creticus post ἀντεμπαγῶ. Male enim Guilielmus Dindorfius post ὀδυνηρός lacunae signum posuit, quum strophicus versus ὁ-σπονδ. doceat systemate hos creticos coniunctos esse, hiatum igitur in antistr. ἀντεμπαγῶ ὀξύς ferri non posse. Responsio est accurata, nisi quod in ultimo dimetro creticus penultimus paeoni respondet. Possit hoc evitari, si ἂν particula in stropha omissa, quae bis posita est, ἀπεπλίξατο vocabuli alteram produci statueris. Id vero improbabile est, neque Carolum Reisigium puto de μεταπληκτίζεσθαι vocabuli secunda syllaba producta Coniect. p. 322 recte iudicare. Nunquam enim hoc Aristophanes fecit nisi in dactylis et anapaestis, quibus adnumerat Hermannus choriambos Nub. vs. 508 quod tamen admodum dubito. Omnium minime autem in creticis vel dochmiis talis productio statuenda, ut quem Fr. Fritzschius Thesmoph. vs. 663 fecit versum εἶτ' ἴχνευέ νυν is non dochmius, ut ipse vult, sed trochaicus monometer hypercatalectus sit. Contra ante mediam cum liquida corripiunt interdum comici ut tragici vocalem, ut Eupolis apud Etym. M. p. 200, 50 ἀναβλυστανῆσαι καὶ χλοῆσαι τὴν πόλιν quam scripturam confirmat Suidas s. v. ἀναβλυστανῆσαι τὸ ἀναβλύσαι; et Theopompus apud Schol. Arist. Plut. vs. 179 ὄνῳ μιγείσης μητρὸς ἔβλαστε τῇ πόλει, cui tamen versui vitium inesse, et sententia et anapaestus illicitus docet. Atque anapaestus talis si apud Theopompum ferri potest, sententiae hac emendatione consulendum puto: ὄνος μὲν ὠγκᾶθ', ὁ Μελιτεὺς Φιλωνίδης ὅτ' ὄνῳ μιγείσης μητρὸς ἔβλαστε τῇ πόλει asinus rudit quum Philonides natus est urbi. — Ibid. vss. 287 — 303; 338 — 346. α′ creticus trimeter, tres dimetri, unus trimeter. β′ troch. tetrametrum sequuntur creticus dimeter et trimeter. γ′ troch. tetrametrum sequitur creticorum systema idem atque α′. — α′. Primo antistr. versu sine dubio recte scribitur τόν τε Λακεδ. est enim admirabilis G. Dindorfii sententia, qui τέ vel potius γέ metrici emendatoris correctionem habens alteram Λακεδαιμόνιον voca-

buli produci posse existimat. Recte etiam νῦν in νυνί conversum, ita enim saepe peccatum est ab librariis ut in Machonis quodam versu, quem hic emendatum adiicio. Exstat apud Athenaeum VI. p. 535 ed. Dind. ita scriptus: νῦν πάντα γίγνεθ'· ἡ μὲν οὐ κύει, ἐν γαστρὶ δ'οὗτος λαμβάνει καθ' ἡμέραν. Haec est codicum scriptura, nisi quod in Epit. νῦν πάντα καινά legitur, quod apertum correctoris additamentum non debebat Dindorfius recipere. Corrigo νυνὶ δ' ἅπαντα γίγνεθ'· cf. Lysistr. vs. 1236 νυνὶ δ' ἅπαντ' ἤρεσκεν. Aliter de hoc versu iudicat Fr. Fritzschius in Aristophane suo I. p. 189. — Responsio bis violata est, in penultimo pede posterioris trimetri, quod sic ut in praecedente carmine non habet offensionem, et in tertio dimetro, ubi creticus strophae, nisi vitiosa est scriptura, haud sane elegans est. — β' Stropha corrupta est, nam praeter violatam responsionem solutio eo loco parum habet elegantiae, et omnes hoc loco cretici dimetro trimetrove incipiunt ex creticis non solutis constante. Accedit, quod haec verba ἀπολεῖ· κατά σε χώσομεν coniunctionem sibi possunt. Libri ἀκούσομεν, quod converterunt critici in ἀκούσωμεν. At saepe librarii in numero peccant ut Pac. vs. 582 pro ἐδάμην omnes libri ἐδάμημεν exhibent. Emendo igitur: σοῦ γ' ἀκούσω; 'πολεῖ καὶ κατά σε χώσομεν. γ' primo versu creticus respondet paeoni, quod eo loco fieri nequit. Turbatum aliquid est in scriptura quum vulgo legatur μηδὲ λέγε δὴ σὺ λόγον, in Ravennate autem exstet μηδὲ λέγε δὴ σύ μοι λόγον. Fortasse scripsit poeta μηδὲ νῦν μοι σὺ λόγον, ut λέγε interpretamentum sit, δὴ vero explicatio νῦν vocabuli. Huc refero scholiastae verba ad vs. 299 ὡς οὖν ἄνω τὸ νῦν περιττεύει, οὕτως ἐνταῦθα τὸ ποτέ. ἔστι γὰρ τοῦ αὐτοῦ μέτρου τὸ κῶλον. Magis etiam tertius dimeter strophicus turbatus est. G. Dindorfius legit μᾶλλον, ὃν κατατεμῶ ut hae sibi respondeant formae -́υ- ύυυ- et -́υ υυ -́υυυ quod nunquam factum esse iam supra diximus. At Ravennatis scriptura μᾶλλον ὃν ἐγὼ κατατεμῶ et hoc vitium tollit et accuratissimam efficit responsionem. Quare scribendum ὃν ἐγὼ κατατεμῶ ποθ' ἱππεῦσι καττύματα. — Ibid. vss. 665—675; 692—702. α' creticus monometer, duo dimetri, unus monometer. β' creticus trimeter, dim., trim. γ' duo paeonici tetram. de quibus dictum est. δ' tres cretici dimetri, unus trimeter. Responsio est accuratissima. — Lysistr. vss. 476—478; 541—543. Correxit G. Hermannus. In antistr. post γάρ lacunae signum ponendum, nam G. Hermanni additamentum vix verum, neque in stropha ἀνεκτὰ τάδε γ' scribendum, sed ἀνεκτέα τάδ' ut recte edidit G. Dindorfius. Ceterum omnia respondent. — Ut hic sic etiam vss. 616—625; 638—647 anacrusim habent. Sunt dimetri quibus trochaici versus admixti sunt. Responsio est accuratissima. — Ibid. vss. 664—666; 688—690 tres dimetri paeonicae mensurae, et vs. 670; 695 dimeter trochaico dimetro additus. — Ibid. vss. 1045—1050; 1060—1065; 1191—1196; 1206—1211. Tria systemata binorum dimetrorum, quae ascitis emendationibus necessariis accuratissime sibi respondent. Medium systema ab anacrusi incipit. — *Vesparum* carmina inde a vss. 403 et 461 trochaicis tetrametris admixta habent tria creticorum systemata, quorum primum vss. 410—414; 468—470, tres dimetros continet, ut antistropha docet. Stropha est corrupta, in qua restituenda inde mihi videtur proficiscendum esse, ut librorum scriptura tantum interpretamentum habeatur, ex quo videndum quomodo poetae verba erui possint. Hoc iudicium nostrum eo comprobatur, quod sententia non satis poetica quidem sed proba tamen

est, numero vero omni haec verba soluta sunt. Simile exemplum infra tractabimus. Ita quum nobis videatur poeta scripsisse: *καὶ Κλέωνι ταῦτ᾽ ἀγγέλλετε - μισόπολιν ἄνδρ᾽ ἐφ᾽, ὅτι - τόνδε λόγον εἰσέφερε — μὴ δικάζειν δίκας* interpres ut *ἐπί* explicaret et sententiae nexum ostenderet, hac usus est paraphrasi: *καὶ κελεύετε αὐτὸν ἥκειν ὡς ἐπ᾽ ἄνδρα μισόπολιν ὄντα καὶ ἀπολούμενον.* *ὡς* et *ὄντα* aperta sunt scholiastae verba, credo etiam *καὶ ἀπολούμενον.* Solent enim illi poetae verbum ponere aliudque eiusdem significationis cum *καί* particula adiungere. Denique *τόνδε λόγον* poetae sunt verba, quae scholiastae non venissent in mentem: infinitivum tamen ex his suspensum addito *ὥστε* explicavit. Vss. 418, 419; 474—477 duo cretici dimetri. Vss. 428, 429; 486, 487 item duo cretici dimetri: primus creticus paeoni respondet. — Av. vss. 410, 411; 412, 413 tres cretici dim. cum anacrusi. Recte enim C. Reisigius de antistrophica huius loci ratione statuit. — Anapaestis spondiacis interpositi sunt cretici vss. 1065—1066 et 1069—1071; 1095—1096 et 1099—1101. Postrema expedita, nisi quod God. Hermanni emendationi *ὁποῖάπερ ἂν ἐστὶν* altera *πάνθ᾽ ὅσαπερ ἔστιν* praeferenda videtur. Priora tamen magis dubia, siquidem non satis certum est quod G. Hermannus proposuit *ἃ ἐφημένον καρπὸν ἀποβόσκεται.* G. Dindorfius edit. Paris scripsit *οἳ πάντ᾽ αὐξανόμενον δένδρεσί τ᾽ ἐφεζόμενα καρπόν ἀποβόσκεται* quod nescio num emendationis probabilis inopia receperit, an ita dici posse nunc quoque censeat. Atque video sane hanc structuram etiam aliis probari, quos tamen in eo falli, nulloque modo *ἐφεζόμενα* stare posse, oppositio verborum *ἐν γαίᾳ* docet, a nemine illa praeter God. Hermannum satis perspecta. Sententia esse debet: animalium, quae omnes et in terra ex calyce progerminantes et arboribus inhaerentes fructus depascuntur. Denique primo versu vera sine dubio est Dobraei emendatio *πολυφάγοις* in *παμφάγοις* convertentis: illud enim eo minus hic ferri potest, quod et ultima praecedentis et prima proximi cretici soluta esset. Quod vero supra dicebam, nunquam opponi cretico quartum paeonem, de eo nunc accuratius placet disputare. Atque quarto paeoni ubi respondeat primus, nullum me legere memini exemplum: Acharnensium enim loco coniectura demum satis ut vidimus improbabili illa responsio illata est. Primitivae autem formae cretico ter nisi fallor possit paeon quartus oppositus videri. Unum exemplum modo attulimus, alterum est in Eccles. carmine quod incipit vs. 952, antistr. vs. 960. Initio duo cretici dimetri positi sunt, quorum alter strophicus hanc *ύυ υ– –́υ–* antistrophicus hanc *–́υ– ύυυ–* habet formam. Restitui accurata responsio possit transpositis strophae verbis *δεῦρό μοι φίλον ἐμόν* quod G. Hermannus dubitabat an praeferendum esset. Nobis tamen neque mutatione opus esse videtur, neque formas illas existimamus sibi opponi posse: illud vero quod supra in dochmiis animadvertimus ea interdum ratione institui responsionem, ut prior dimetri dochmius in stropha alteri respondeat in antistropha, contra antistrophico priori strophicus alter, eodem modo in cretico numero arbitramur hic esse factum. Videant igitur viri docti, num de eiusmodi in responsione *chiasmo* quem appellare lubet, probabiliter a nobis disputatum sit, eiusque usus etiam latius fortasse pateat. Ceterum bis praeterea in hoc carmine paeon quartus usurpatus est vs. 958 *μέθες ἱκνοῦμαί σ᾽ Ἔρως* quae verba in antistropha repetuntur, et vs. 962 *καταπεσὼν κείσομαι* quae extra responsionem posita esse C. Reisigius censet, stropham esse emendandam G. Hermannus arbitratur. Tertium

denique eius rei de qua agimus exemplum exstat Thesm. vs. 959 ἅμα δὲ καί cui oppositum esse versum 962 εἰ δέ τις et vs. 966 ἀλλὰ χρή viri docti tantum non omnes statuunt. Quae quidem res admodum dubia est non solum propter responsionem istam ut nobis videtur improbabilem, sed etiam propter sententiam, quae ad proodum trahi haec vera iubet. Postponendam igitur rati numeri aequabilitatem quandam sententiarum nexui strophae initium inde ab versu 962 ponimus. Aliter statuit Fr. Fritzschius qui vs. 957 strophae initium ponit, cui respondeat antistropha vs. 966 stropha et antistropha altera interposita hoc schemate: α. β. β'. α'. quod displicet quum propter dispositionem ipsam, quae per totum reliquum carmen ita instituitur simplex, ut stropham quamque continuo subsequatur antistropha, tum propter mutationem duplicem qua stropha et antistr. solius responsionis gratia tentatur. Atque strophici quidem versus mutatio non est violenta, antistrophici ἀλλά σε χρῆν nescio quomodo displicet. Est profecto trita admodum haec emendandi ratio, ut ubi syllabae quaedam ad numeri integritatem desint vel deesse existimentur, certa quaedam vocabula inserantur, quae plerumque nihil significare putantur, nonnunquam etiam sententiam pervertunt, ut idem σέ memini Thesmoph. vs. 662 insertum, quod ibi nullo pacto ferri posse intelligent, qui veram illius loci rationem perspexerint, de qua tamen hic explicare longum est. Alter antistrophicus versus intelligi nequit. Quid cogitaverit poeta perspexit Franc. Fritzschius scholiasta duce, emendationem tantum non veram invenit. Libri praebent ὥσπερ ἔργον litteris ερ falso repetitis. Scribo ὡς ἐπ' ἔργον καινὸν αὖ: in stropha enim vix quidquam mutandum est.

Plura non invesi apud Aristophanem creticorum in responsione systemata. Sed ne praetermisisse quidquam videremur infra eos significavimus locos, ubi vel monometer vel dimeter creticus aliis numeris admixtus invenitur. Atque monometri duo tantum exstant exempla Eccles. 900; 906, sequitur trochaicus monometer acatalecticus et Acharn. 973; 989 paeonico tetrametro praepositus. Fortasse huc pertinet Nub. vs. 1309 σοφι-στὴν ἴσως et 1318 παμπόνηρ' qui tamen aliter disponendi videntur. Creticus monometer additus videri possit dactylico heptametro catalectico in syllabam Ran. vs. 676; 707, quod quum exemplo careat nescio an versu antistrophico non mutato in stropha ἐμᾶς αὐδᾶς scribendum sit. Hunc enim ordinem plures exhibent libri, istaque vocabula saepissime permutantur. — Saepius invenias creticum dimetrum, plerumque cum trochaico numero coniunctum. Lysistr. vs. 804; 828 trochaicorum dimetrorum systema clauditur cretico dimetro. Vesp. vs. 1061; 1092 creticus dimeter trochaicis tetrametris interpositus. Ibid. vs. 733; 747 dochmio et iambico-antipasto interpositus. Acharn. vs. 971 paeonico tetrametro praemissus. Av. vs. 851; 895 creticus dimeter cum anacrusi, quem trochaicus dimeter catalecticus sequitur.

Usitatissimum apud Aristophanem est *metrum choriambicum*, quaeque huic sunt cognata. De quibus etsi ita in animum induximus accuratius explicare ut et de choriambico numero et glyconeo et anacreonteis et ionicis seorsum disputaremus: tamen quum tempus iubeat hasce chartas officinae tradi, quae primas imprimendas iam curat, cogimur sane consilio desistere atque absoluta de choriambico numero disputatione ipsum hoc opusculum absolutum putare. Occasione ta-

men oblata de aliis quoque metris quaedam immiscebimus magis quidem ea significantes quam accuratius pertractantes. — Monometrum acatalecticum apud Aristophanem nunquam inveni, nisi trimeter in dimetrum distribuatur atque monometrum, neque eum puto in usu fuisse nisi choriambis interpositum. Accedit igitur novum argumentum ad ea quae supra attulimus quum de Franc. Fritzschii coniectura ad Thesmoph. vs. 966 disputabamus. Recte igitur et non ob eam tantum caussam Guil. Dindorfius Ran. vs. 978 *οὐ σοφίαι* et vs 709 *νῦν ἐνοχλῶν* ad praecedentem versum traxit. — Semel invenitur monometer cum iambica basi Thesm. vs. 992; 997. Semel etiam addito pede iambico Vesp. 873; 890. Duo huius formae metra coniuncta sunt Eccles. vs. 941; 945. Choriambicus monometer hypercatalectus, qui diiambum pro choriambo habeat, videri possint esse Nub. vss. 701, 704; 806; 808. — Usitatior est monometer hypercatalectus cum anacrusi, qui plerumque clausula est systematis ex monometris cum anacrusi et iambico pede in fine constantis. Iambus semper purus servatur, anacrusis et longa et brevis esse et in responsione altera alteri sine discrimine opponi potest. Eius formae exempla haec sunt. *Equit.* vss. 1111—1130; 1131—1150. Sunt quatuor partes invicem sibi omnes respondentes, quarum unaquaeque bina habet systemata cum clausula choriambica. *Ran.* vss. 450—453; 456—459. Tribus monometris additur choriambica clausula. *Eccles.* 290—299; 301—310. Quinque sunt systemata, in quorum quoque ut supra ultimus versus clausula est. *α'* quatuor versus, *β'* quinque, *γ'* tres, *δ'* quatuor, *ε'* quatuor versus continet. Versus secundum et tertium antistrophae, quartum et quintum strophae recte transposuit R. Porsonus: id enim quum metrum tum responsio postulat. Vs. 15 antistrophae legitur syllaba dificiente *καὶ δύο κρομμύω* quod probabiliter video C. Reisigium in exemplaris sui margine correxisse *καὶ δὴ δύο κρομμύω* quam emendationem quum non meminissem me alicubi legere prolatam, hic commemorandam putavi. — *Pac.* vss. 856—858, 860—862; 909—911, 913—915. Duobus monometris adiecta clausula. — Ibid. vss. 952—955; 1035—1038. Totus locus ita videtur scribendus:

στροφή.	*ἀντιστροφή.*
Οὔκουν ἁμιλλήσεσθον; ὡς	*Τίς οὖν ἂν οὐκ ἐπαινέσει-*
ἤν Χαῖρις ὑμᾶς ἴδῃ,	*εν ἄνδρα τοιοῦτον ὅσ-*
πρόσεισιν ἄκλητος αὐ-	*τις πόλλ' ἀνατλὰς ἔσω-*
λῶν, κᾆτα σάφ' οἶδ' ὅτι	*σε τὴν ἱερὰν πόλιν;*
φυσῶντι καὶ πονουμένῳ	*ὥστ' οὐχὶ μὴ παύσει ποτ' ὢν*
προσδώσετε δήπου.	*ζηλωτὸς ἅπασιν.*

Non solum choriambicis versibus, sed etiam iambicis ut hoc ipso loco clausula ista additur. Trium dimetrorum iambicorum systemati adiecta est Acharn. vss. 841, 847; 853, 859. Systemati iambicorum dimetrorum praepositum est distichon ex iambico trimetro et choriambica clausula constans Nub. vss. 1304; 1312. Tria eiusmodi disticha in antistrophicum carmen coniuncta esse videntur Nub. vss. 1345—1350; 1391—1396. Ea certe est G. Hermanni sententia, ab qua tamen discedimus. In ultimo enim disticho quum librorum scri-

ptura iambici trimetri finalem et in stropha et antistropha brevem exhibeat: quoniam trimeter cum choriambico versu ita coniungatur necesse est, ut syllaba anceps excludatur, duplici opus est mutatione. At id ipsum mihi videtur indicare ita esse hos versus distribuendos atque emendandos

ἀλλ' ἔσθ' ὅτῳ θρασύνεται *τό δέρμα τῶν γεραιτέρων*

δῆλόν γε τὸ λῆμ' ἐστὶ τοῦ ἀνδρός *λάβοιμεν ἂν ἀλλ' οὐδ' ἐρεβίνθου*

Bis deinceps posita est haec clausula et praecedentibus et sequentibus iambis Thesmoph. vs. 972; 980 quod non magis potest offensioni esse quam si paroemiacus repetitur vel dimeter choriambicus catalecticus, vel quod eodem redit iambicus dimeter catal. ut hoc ipso loco. Coriambi isti non coniunguntur ut non debuerit Franc. Fritzschius viros doctos mirari qui hiatum tolerandum putaverint. Contra qui '*Εκάεργ'* scriptura efficitur versus exemplo caret. Stropha vss. 972—974 alteram etiam habet antistropham vss. 987—989 si vera est ab God. Hermanno proposita emendatio haec: *ἡγοῦ δέ γ' ὅδ' αὐτὸς — σὺ κισσοφόρ' ὦναξ — Βάκχει' ἐγὼ δὲ κώμοις — σὲ φιλοχόροισι μέλψω.* Aliter statuit Franc. Fritzschius de hoc loco.

Magna quae inter eos, modo quos tractavimus versus et glyconeos et pherecrateos similitudo intercedit, nos movet ut de his quoque versibus hoc loco quaedam adiiciamus. *Equit.* vss. 973—984; 985—996. Totum hoc carmen ex glyconeis compositum simplicissimum est, in quo una tantum primitiva glyconei forma usurpata sit, tertiumque quemque glyconeum pherecrateus sequatur, ut monostrophicum hoc carmen videri posset ex sex strophis constans, nisi hiatus nunquam nisi in strophae fine admissus doceret, terna haec cola uno esse systemate comprehensa. Basis aut trochaica aut spondiaca est. Animadvertendum est autem in Equitibus praeter ceteras hoc et simile choriambicum metrum usurpari, ut eadem fere ratione satis longum carmen vss. 1111 sqq. compositum est. Neque illud praetermittendum est, responsionem in hac fabula accuratissimam esse, id quod non solum in glyconeos et choriambicos versus et dactylicos cadit, sed imprimis ex creticis intelligi potest, qui quum tribus locis usurpati sint, nunquam ne in uno quidem pede sibi non accuratissime respondent. Glyconei praecedentibus versibus choriambicis inveniuntur ibid. vss. 561—564; 591—594 claudit pherecrateus. Hic quoque una tantum eadem forma usus est poeta, pariterque basis trochaica vel spondiaca est. — Ut hic choriambicos dimetros glyconei sequuntur, transitum dimetris hypercatalectis cum basi parantibus, sic choriambicos dimetros interpositis dactylis excipiunt glyconei praemisso dimetro choriambico hac forma – –́v – –́vv – quam G. Hermannus in formis glyconeorum se non invenisse dicit, *Nub.* vss. 572—574; 604—606. Primus versus spondeum ante choriambum habet ob similitudinem praecedentis dimetri choriambici, qui cum proximis glyconeis coniunctus est; alter est primitivae formae, tertius pherecrateus. Basis est spondiaca, semel trochaica, semel iambica. — Choriambicos dimetros sequuntur glyconei *Vesp.* vss. 1457—1460; 1469—1472. Omnes habent spondeum vel trochaeum ante choriambum, accurate sibi respondentem praeter vs. 1472 ubi nescio an vulgata scriptura *τοὺς φύσαντας* praeferenda sit. Basis loco bis tribrachus positus aeque tamen in stropha atque in antistropha. Semel iambo respondet spondeus. — *Thesmoph.* vss. 1140—1142; 1145—1147. Ultimus est pherecrateus cum basi spondiaca, alter glyconeus

primitivae formae cum basi trochaica, primus eiusdem formae sed cum dactylica basi cui spondiaca opponitur. At nunquam Aristophanes in basi dactylum posuit, quod si tamen facere voluit, eo magis erat curandum ut ne diversae sibi opponerentur formae. Hoc igitur quum hic factum esse negem, non equidem statuo corruptelam aliquam huic loco inesse, sed dubito an hic locus omnino non antistrophicus sit. Quodsi tamen antistrophicus est, at non glyconeus sed dactylicus est ille versus. Omnino video non recte ab quibusdam de hoc loco statui, seductis illis G. Hermanni iudicio quod ipse iam retractavit. Qui enim inde ab vs. 1148 alterius ut putatur strophae initio, versus sequuntur, nullo modo dubitari potest, quin neque glyconei neque anapaestici, sed dactylici habendi sint. Frustra C. Reisigius verissime monuit ultimam glyconi arsim solvi non posse, nedum solutam in responsione opponi non solutae: fuerunt qui hunc errorem repeterent. Quin vel eo progrediuntur, ut versum 1149 *πότνιαι, ἄλσος ἐς ὑμέτερον* respondere putent versui 1156 *μόλετον, ἔλθετον, ἀντόμεθα*: scilicet tribrachum esse *πότνιαι*. Ipse vero hic versus clamat dactylicum esse et ipsum et qui sequuntur. — Denique *Eccles.* 915, 916; 921, 922 duo sunt glyconei, quorum alter hypercatalectus cum basi spodiaca, alter primitiva forma cum basi trochaica. Respondent accuratissime. — Postremo pherecrateus positus est Thesmoph. vs. 991; 996 qui in basi tribrachum habet iambo oppositum. Hoc tametsi excusari possit nomine proprio, tamen corruptela, quae proximo versu aperta est, ad hunc quoque pertinere videtur. Franc. Fritzschius speciose sane coniecit *Διόνυσε* natum esse ex *Διός τε,* id enim et metrum et sententia requirit. Male tamen id collocatum est, ut potius proximo versu scribendum esse videatur *Διὸς καὶ Σεμέλας παῖ.* — Allatis glyconeorum apud Aristophanem exemplis recte nobis videmur illud affirmaturi comicum poetam diligentia quam in responsione adhibuit vel poetas tragicos, certe Euripidem et in quibusdam fabulis etiam Sophoclem longe superavisse. Summa autem disputationis nostrae de glyconeis haec est. Usitatissima est apud Aristophanem primitiva forma, quae in fine iambum habet. Haec nunquam alii formae opponitur, et iambus pariter atque in choriambico monometro cum anacrusi semper purus servatur. Praeterea usus est Aristophanes altera forma, quae spondeum vel trochaeum ante choriambum habet. Haec quoque sibi tantum ipsi respondet, neque spondeus videtur trochaeo opponi posse, cuius rei unum tantum exemplum contrarium exstat in Vespis, quod vidimus recepta vulgata scriptura removeri posse. Basis est spondiaca, trochaica, iambica, quae sine discrimine sibi opponuntur, nisi quod iambum nunquam vidi trochaeo oppositum, quod quum alio loco ostenderim Aeschylum quoque nunquam sibi permisisse, videntur hoc diligentes poetae vitasse. Neque spondeo iambus saepe opponitur, apud Aeschylum nunquam, bis apud Aristophanem; usitatissima est spondei et trochaei responsio. Tribrachus si in basi est, non videtur cum bisyllabo pede permutatus esse. Dactylus et anapaestus a basi excluduntur.

Atque haec quidem de choriambicis monometris eiusque similibus metris. Venio ad dimetros trimetrosque usitatissimam choriambici numeri formam. Hic duplex exoritur quaestio, quarum altera ab nullo usque mota est, altera vero ad choriambi cum diiambo permutationem pertinet. Atque in numero vere choriambico non videtur choriambo oppositus esse diiambus: cuius

rei quae contrarium probent exempla infra commemorabimus: in ionicis tamen anaclasin usurpasse Aristophanem ita ut ionici opponerentur certo Ranae docet. Sed non praetermittendum est, omnium Aristophanis fabularum Ranas sententiae nostrae de accurata antistrophicorum responsione maxime refragari, in qua vel de industria videatur poeta numeri diversitatem quaesivisse. Videor mihi hoc luculentissimo exemplo comprobare posse, quod carmen vss. 1099 sqq. antistr. 1109 sqq. trochaico numero scriptum praebet. Hic enim non puto dubitari posse, quin de industria poeta in strophico carmine tot breves syllabas posuerit, quarum locum longae in antistropha tenent. Undecies prima arsis in stropha est soluta, cui longa syllaba opposita sit: quod quum eo ordine institutum sit, ut quatuor tribusque se excipientibus versibus prima quaeque versus arsis solvatur, apparet proprium quendam ita exsistere numeri incessum, prorsus illum diversum ab eo qui est in antistropha. Quin uno versu omnes praeter ultimam arses solutae sunt, in antistrophico nulla. Hoc mihi eam vim habere videtur, ut etiamsi nullum praeterea inveniatur exemplum, ubi choriambo respondeat, diiambus, in Ranis librorum scripturam talem responsionem praebentem ob eam caussam non tentandam existimaverim. Sed videamus de eo numero qui vere est choriambicus, eiusque exempla recenseamus. — *Nub.* vss. 563—568; 595—600. Sunt quinque dimetri, et unus trimeter, et vs. 570; 603 unus dimeter. — Ibid. vss. 700—705; 805—810 tres dimetri. Horum omnium accuratissima est responsio, diiambus choriambum sequens purus est servatus, qui praecedit longam habet anacrusim. — *Equit.* vss. 551—558; 581—588 octo dimetri. Secundo versu scribitur *χαλκοκρότων ἵππων κτύπος* ubi necessariam esse Bentleii emendationem *ὁπλῶν* certissimis nobis videmur evincere posse argumentis. Est hic ea quaestio movenda, quam supra significavimus nos esse moturos. Animadvertimus enim in choriambicis dimetris ex choriambo et diiambo compositis si choriambum diiambus praecedat, eum verum esse iambicum monometrum, cuius et utraque arsis solvi et anacrusis longa esse brevisque possit, sin autem choriambum excipiat diiambus, neque solutionem admittere, neque anacrusim longam recipere talem diiambum. Atque solutionem arsis nunquam inveni, longae anacrusis si unum alterumve exemplum exstat, non evertet illud constantem quendam usum permagna exemplorum multitudine firmatum. Unum tantum novimus in responsione exemplum, ubi tamen longae anacrusi item longa opposita est, de quo infra dicetur. Alterum exemplum dimetri cum anacrusi est Thesmoph. 435 *πάσας δ' ἰδέας ἐξήτασεν* de quo loco admirabilia quaedam invenies apud novissimum huius fabulae editorem. Sed ne hoc quidem exemplum certum est, quum hic versus trochaicus esse debeat, ut antistrophicus docet. Stat igitur praeceptum nostrum, de quo accuratius disputare fortasse alio loco continget. Hic tantum addimus, simili modo in choriambicis tetrametris alterum diiambum purum servari exceptis duobus versibus, altero Aristophanis apud Hephaestionem, altero Eupolidis apud Athenaeum. His addo tertium Eupolidis versum, quem ex eadem chori adulatorum oratione petitum censet Theod. Bergkius Comment. p. 353 *Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν.* Revertor ad Equitum versum, quem cur emendatione egere putem iam patet. At ut impugnetur haec argumentatio nostra, illud non patiar mihi eripi argumentum, curandum fuisse, ut si ab usu quodam constanti recessisset poeta, eadem etiam in an-

tistropha poneretur forma. Utor vero praeterea duobus aliis argumentis ad sententiam nostram stabiliendam, quorum unum in Equitum fabulae alterum in huius de quo agimus carminis compositione positum est. Supra enim ostendimus omnium Aristophanis fabularum summam in responsione diligentiam in Equitibus cerni, quod vim suam habere demonstrare conabar in dissertatione de Aeschyli antistrophicis, cuius Prometheus et Eumenides simile summae in responsione concinnitatis exemplum praebent. Incredibile est igitur qui summam responsionis concinnitatem per totam fabulam sectatus sit, eum semel ab hac lege recessisse non in usitatae cuiusdam formae permutatione sed in eiusmodi forma, quae omni exemplo destituatur. Venio ad ultimum argumentum ex ipsius carminis compositione petitum. Etenim ut reliqua huius fabulae carmina simplicissima sunt, eademque fere numeri forma repetitur, ut XXIV qui in hac fabula inveniuntur glyconei omnes eiusdem primitivae formae sunt: sic in hoc quoque carmine omnes XVI choriambici dimetri in stropha et antistropha eiusdem sunt formae ut choriambum excipiat diiambus. Qui quum in XV dimetris semper purus servetur et consilio servetur, omnis hoc uno versu aequabilitas perditur, ut etiamsi tam lenis mutatio non praesto esset, tamen corruptus hic versus putari deberet. Sed satis de hac re dictum est. — *Vesp.* vss. 1450—1456; 1462—1468. Septem dimetri, qui diiambum ante choriambum habent. Quarto et septimo versu videri possit non diiambus sed choriambus esse cuius prima soluta sit. Alterum tamen praestat propter sextum versum qui in stropha eiusdem est mensurae, in antistropha tamen primae brevis loco longam syllabam habet. Versus quintus corruptus est. Male G. Dindorfius edidit *ἦ μέγα πείσεταί τι* quod ob multas caussas ferri nequit. Quum in Ravennate exstet *ἦ μέγα τι μέγα πείσεται* probe C. Reisigius intellexit scribendum esse *μέγα τι πείσεται.* In mentem mihi venit similis loci Av. vs. 1070 ubi quum vulgo scribatur *ἐν φοναῖς ὄλλυται* Ravennas autem *φοναῖς ἐξόλλυται* praebeat, corrigendum est *ἐκ φοναῖς ὄλλυται* quam emendationem nobis praereptam videmus in G. Dindorfii edit. Paris. Huius enim editionis primo tomo uti licuit, Oxoniensis vero nullum adhuc exemplar in hac urbe nostra versatur. — Sed non prorsus restituit C. Reisigius veram huius loci scripturam. Quum nihil melius in mentem veniat, hanc propono emendationem *ἔπειτα μέγα τι πείσε-ται 'πὶ τὸ τρυφῶν* qua certe accurata responsio restituitur. — Ibid. vss. 526—528; 631—633. Primo versu *δέ* sententiae contrarium recte R. Porsonus in *δή* convertit, cuius reliquas quoque emendationes in hoc carmine probo. — Ibid. vss. 531—536; 636—641. Hic quatuor dimetri catalectici deinceps positi sunt. — Ibid. 540—545; 644—647. Hic factum est, de quo supra disputavimus, ut diiambus choriambum excipiens non purus servetur, exaequandam tamen stropham et antistropham poeta curavit. Strophae vss. 543, 544 corrupti sunt. Librorum scriptura est: *σκωπτόμενοι δ' ἂν ἐν ταῖσιν ὁδοῖς ἁπάσαις θαλλοφόροι καλοίμεθ'.* Haec Porsonus ita emendavit ut in antistr. lacunam statueret, cuius nullum adest indicium. Nos aliam emendationis rationem proponimus, quae si cui nimis videatur violenta, meminerit, plures esse in hac fabula carminum particulas, quae non poetae verba, sed scholiastae explicationem continere putandae sint. Hanc nostram sententiam confirmant quinque cretici vss. 410—414 facti illi ex tribus quos poeta scripserat. Iam R. Porsonus quum *ἂν καλοίμεθα* mutaret in *καλούμεθα* probe quidem

intellexit, optativum illum a poeta non esse profectum, illud tamen non perspexit, non esse haec correctoris verba, qui profecto eodem modo ἔστι in ἂν εἴη mutavisset, sed explanatoris qui ut ἐν ταῖς ὁδοῖς addito ἁπάσαις male profecto interpretatus est, ita poeta verba θαλλοφόροι σκωπτόμεθα κελύφη verbis σκωπτόμενοι θαλλοφόροι καλοίμεθ' ἂν κελύφη explicavit. Sic igitur videntur haec restituenda esse:

στροφή.	ἀντιστροφή.
Οὐκέτι πρε-	Δεῖ δέ σε παν-
σβυτῶν ὄχλος χρήσιμος ἔστ'	τοίας πλέκειν εἰς ἀπόφυ-
οὐδ' ἀκαρῆ· θαλλοφόροι δ'	ξιν παλάμας· τὴν γὰρ ἐμὴν
ἐν ταῖς ὁδοῖς σκωπτόμεθ' ἀν-	ὀργὴν πεπᾶναι χαλεπὸν
τωμοσιῶν κελύφη.	μὴ πρὸς ἐμοῦ λέγοντι.

Acharn. 1150—1155; 1162—1167. Hoc loco aut trimetri statuendi, aut ut in proximo quem constituimus loco choriambicus monometer initio ponendus. Ceterum primo versu et sententiae et numeri caussa recipienda est P. Elmsleii emendatio τὸν μέλεον τῶν μελέων ποιητήν. — *Lysistr.* vss. 321—334; 335—349. Praecedunt duo choriambici tetrametri. Duo tetrametri etiam in ipso carmine leguntur, et possunt plures iam allati dimetri in tetrametros coniungi. Praeterea tetrametri leguntur *Nub.* vss. 949—958; 1024—1033, siquidem G. Dindorfius recte hos versus ita disposuit. Tertius horum versuum corruptus est, quarto G. Hermannus responsionis caussa πρὸς τάδε δ' ὦ recepit, quod probabile est. Sed revertor ad Lysistratae carmen. Hic quoque vs. 340 corruptelam inesse, diiambus choriambo oppositus docet, qui ut in tetrametro vel dimetro catalectico eo minus tolerari potest. Nescio an ferri possit ἀνθρακεῦν γυναῖκας. Corruptus est vs. 348 ἐς πόλιν, ὡς τριτάλαντον βάρος, quem miramur Dindorfium praeeunte Bothio ita exhibuisse ὡς τριτάλαντον τὸ βάρος. Nam ἐς πόλιν vel simile quiddam necessarium est, ὡς vero vel quod alii praebent ἐς apertum est glossema. Verum esse puto quod apud C. Reisigium invenio δεῦρο τριτάλαντόν τι βάρος. Eodem modo etiam proximo versu brevi syllabae longa opponitur, idemque vs. 342 factum est. Saepius id in responsione offendimus ut eidem metri cuiusdam formae in stropha repetitae ubi alia opponatur in antistropha, item illa repetatur. Comparari possunt eiusdem fabulae vss. 262, 263; 277, 278 de quibus difficile est iudicare: proximo tamen strophae versu nescio an recte corrigam πασσάλοισι ut κλήθροισι glossema sit ex Euripide illatum. — *Eccles.* vss. 902, 905; 908, 911 dimetri catalectici. — Ibid. 969, 970; 973, 974 qui non tetrametri sed dimetri sunt. Versu 970 scribendum ὦ 'κετεύω, in antistrophico nihil mutandum. — *Thesmoph.* vss. 990—994; 995—1000. Primus versus choriambicus dimeter catalecticus esse debet, qui in stropha corruptus est. Iam supra, ubi de altero versu disputatum est, Franc. Fritzschii emendationem Διός τε commemoravimus, quae si vera est, non tamen Διός τε in Διόνυσε corruptum esse putamus, sed Διόνυσε glossema habemus. Iam scribi possit Εὔιον, ὦνα Βρόμιε Διὸς καὶ Σεμέλας παῖ vel quod praestat Εὔιον ὦ Ἴακχε. Quarto versu veretur G. Hermannus, ne et in stropha et in antistropha vox exciderit, quae ad usitatas

chorimbicorum formas requiratur. Hoc iudicium pluribus de caussis improbabile est. Primum enim criticae artis regulis repugnat, et strophico et antistrophico versui emendatione metri formam quandam inferre, nisi et sententia id postulat et ipsa numeri forma. Neutrum hic vitii suspicionem movet, quum et sententia absoluta sit et choriambicus trimeter saepius inveniatur, ut Acharn. 1151; 1162. Lysistr. 328; 342. Tantum igitur abest ut haec metri forma inusitata sit, ut quam Hermannus duplici coniectura efficere conatur, ea omni exemplo destituatur: nunquam enim in choriambico tetrametro diiambus solvitur, quem si tamen poeta solvere voluisset, quod equidem nego, non posuisset profecto in antistropha non solutum. Quare strophicum versum integrum esse statuo, antistrophico succurro hac transpositione: *δάσκια πετρώδεις τε νάπαι βρέμονται.* Eodem modo brevi syllabae longa respondet in trimetro Lysistr. 328; 342. Ultimis duobus versibus ex Hermanni emendatione arsi solutae non soluta respondet, quod fieri posse, si iambus choriambum praecedat, supra ostendimus. Ceterum alteram arsim nunquam invenimus solutam, ubi choriambus sequitur, sed aut in dimetro catalectico ut Vesp. vss. 1454; 1466. Eccles. vss. 969; 973 aut in dimetro acatelectico, qui etiam altero loco diiambum habeat ut Nub. 705; 805.

Choriambici dimetri hypercatalecti cum basi inveniuntur Equit. 559, 560; 589, 590. Eccles. 917; 923. — 938, 939; 942, 943. Basis omnibus his locis spondiaca est.